



EMENDATIOREM
 CATARACTAE DEPO-
 NENDAE
 M E T H O D U M

* * * * *

P R A E S I D E

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
 PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLCG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
 PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
 FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
 SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
 MEDICI H. T. PRO-DECANO

DIE SEPTEMBR. C I C C I L X X V .

IN MEDICINA ATQVE CHIRVRGIA
 SVPREMOS DOCTORIS HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBlico EXAMINI

SVBMITTET

A V C T O R

CAROLVS GVILIELMVVS HILDEBRAND
 HERFORDIA-GVESTPHALVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
 E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

EMENDATIONE
CATARACTAE DEPO.
NENDAE
RESENDAN
TRIVIDE
LETRO INNAMORE HARTMANNO
IN MEDICINA ATONI QVALLA
SANTHES DOCTORIS HONORIS
INCIPIT
S/INIT
AVCOTER
CVRORAS CATHARINAS HILDIBRN
KUTTA
MINUTA



PROOEMIVM.

Quotusquisque chirurgorum ignorat, cataraetam dici eum morbum, qui, tamquam pars quaedam obscura, in posteriori oculi camera per pupillam animadueritur, cuique nascendo plurimae causae ansam praebent. Huius praeternaturalis obscurationis sedes, absolute demonstrante celeberrimo Goettingensium professore, AVGVSTO GOTTLIEB RICHTERO*), deprehenditur aut in sola lente crystallina; aut in eadem lente, eiusdemque capsula et liquo-

A 2 re

*) In der Abhandlung von der Ausziehung des grauen Staars.
Goettingen 1773. in 8.

re Morgagniano simul; aut in tunica capsulae sola, mox anteriori, mox posteriori; aut in solo, quem diximus, humore Morgagniano. Sed accedit interdum, ut membrana hyaloidea obscuretur, catara&taeque speciem producat. Longiori profe&to demonstratione opus haud est, quantum emolumenti in humanum genus exinde sit illatum, quod iam ab antiquissimis temporibus medici et chirurgi, dum huius morbi origines, cau&as, sedem, eu&etusque curatius indagare sunt conati, eidem quoque tollendo indies plures facilioresque modos applicarunt. Quam ob causam in praesentia sufficiat commemorasse, nostra aetate, ob insignem huius medelae usum, tantum curae, diligentiae, atque sollicitudinis a nuperissimis chirurgis litteratis esse adhibitum, ut longe perfectiorem in gradum haec ars atque scientia sit euecta, et pessimum hoc malum faciliori atque tutiori methodo tolli possit. Idem ipse, quem iam honorifice nominauimus, illustris RICHTERVS, eo ipso libello, cuius iam facta est mentio, siue explicatam perfectae operationis methodum, siue incitamenta aliis me-
et al. et cetera negantur dicis



dicis atque chirurgis impressa spectes, tan-
tum studii atque perspicuitatis in docendo
applicuit, ut omnibus, qui hoc de argumen-
to scripserunt, praeriperet palmam. Ipse
etiam omnium fere primus princepsque fuit,
qui isti barbarie obicem poneret; ex qua
olim cataractae depositio solis circumfora-
neis et indoctis operatoribus, ut barbare vo-
cantur, erat permissa. Quippe celeberrimi-
mus hic vir, accuratiori huius morbi noti-
tia solertique observationum et experimen-
torum apparatu, subtile huius operationis
artificium variis augmentis correxit et ab-
soluit, nouisque enchiresibus ditauit: adeo
ut ex eo tempore plurimi inter Germanos
chirurgi in eodem hoc opere perficiendo sint
occupati. Ego ipse, quod non sine summa
voluptate atque gratiarum testificatione fa-
teor, huius viri exhortationibus ad hanc
ipsam rem sum excitatus. Nemo est, qui
ignoret, dupli methodo cataractae me-
deri eos, qui hoc sibi negotii sumunt: per
depressionem nimirum atque extractionem.
Primo igitur extrahendae cataractae ratio-
nes, quas ipse fecutus sum, exponam; de-

A 3

inde



inde eiusdem deponenda modum, qui ha-
etenus in vsu fuit, describam: non omissis
tamen monitis quibusdam, quae ad errores
in vtroque genere commissos pertinent. Ad-
dam illustrationis causa aliquot sanationum
exempla. Tandem nouam propositurus sum
deprimenda cataractae methodum: qua
id obtinui, vt, nisi me omnia fefellerunt,
deposita cataracta, quae saepenumero ver-
sus superiora resurgit, constituto loco ma-
neret. Simul vero singulas accurate descri-
bam enchireses, quibus lens crystallina eius-
que capsula sub operatioee tractari debet,
quo sine impedimento atque renisu ad defi-
nitum deponi possit locum.

§ A

§. I.

§. I.

De cataractae extractione praemonita quaedam.

Postquam igitur cataractae per extractionem medendi methodus adeo maxime est celebrata totiesque frequentata, accidit exinde, ut ipsius huius morbi natura longe propius exactiusque sit perspecta. Quippe nunc luculentissime constat, maturitatem eiusdem neutriquam in densitate lenti esse quaerendam, neque ex eiusdem colore, quanta fit illius consistentia, colligi oportere: ut potius tunc demum matura dici possit cataracta, cum lenti capsula a membrana hyaloidea nonnihil recedit, facileque dissolui potest; lenti corpore, quod illa includit, ceteroquin dura molliue. a) Proinde nequaquam illud nunc instituo, ut haec amplius persequar: sed, missis illis, hoc mihi solum negotii sumo, ut methodum, qua extrahendo cataracta tollitur, distincte describam.

§. II.

Ipsa cataractae extractio describitur.

Ante omnia vero eos, qui in perficienda hac operatione occupabuntur, monitos volo, ut eo ipso tempore, quo inciditur cornea oculi tunica, ipsum bul-

a) Confer IANIN, *Beobachtung über das Auge*, pag. 155.



8

bulbum firment. Omnibus illis adminiculis, huic scopo destinatis, si quid ego recte iudico, palmam praeripuit, siue securitatem speces, siue commoditatem, hastula Pamartiana, et quidem speciatim ea qua usus est celeberrimus medicus ocularius CASAMATA. Haec hastula in formam latinae litterae S est incuruata, apicemque adeo breuem habere potest, ut hic vix dimidiatur lineam latam super trabeculam transuersam emineat. Hic apex oculum ne tantillum quidem laedit, eidemque firmando absolute sufficienterque inferuit. Porro, CASAMATAE morem secutus, conuenienti hamulo palpebram superiorem inter operationem eleuandam curo: quod tamen molliter moderateque fieri debet, ne pars haec offendatur. Inferiori palpebrae iniicio alium hamulum, unciae circiter pondere auctum: quod firmati huius palpebrae adeo est conuenientissimum, ut eadem sine offensa aut incommodo deorsum trahatur. Atque ego, non sine iustis argumentis, iterum itemque moneo omnes, ne hanc suscipiant operationem prius, quam firmatus est oculus; quandoquidem alias semper haec operatio, sicuti per exempla constituit, insecura manet. Postquam igitur has cautiones satis superque obseruaui, quae ad præparationem sunt necessariae, apicem hastulae infigo eo loco, quem apex cultelli sub suo egressu pertundere debet; sicuti haec omnia luculentius celeberrimus Goettingensium Professor, RICHTERVS, descrip-



scripsit. b) Quod si etiam contingere, ut apex cultelli a loco hastulae infixae aberret, nihil tamen impedimenti inde sequuturum esset, quin oculus tam diu firmatus maneat, donec cultellus penitus penetrauerit incisioque sit absoluta. Cultellus hic, quem diximus, Richterianus omnibus reliquis instrumentis merito est praferendus: si modo iustum habeat crassitie proportionem. Nimia enim eiusdem tenuitas sub operatione facile efficit, ut apex incuruetur: nimia autem crassities ingressum et transgressum eiusdem per corneam non nihil difficiliorem reddit. Quando igitur eam adhibueris cautionem, ut firmetur oculus ope hastulae, incisio, huius ope instituta, raro in cassum recidet, aut iusto minor euadet; adeo ut vulnusculum forfice sit amplificandum; ad incidendam vero capsulam tali vtor acutissimo cultello, qualis in cystitomo clarissimi LAFAYI deprehenditur. Hic autem cultellus tantillum est incuruatus atque in manubrio firmatus. Finita hunc in modum operatione, oculum linteolis, aqua et spiritu vini gallici, cuius prioris tres quartae sunt partes, madefactis, more consueto deligo. Interim misturam hanc interdum, pro ratione rerum circumstantium et symptomatum, diuersa mutauit proportione.

B

§. III.

b) Libr. citas. pag. 23. seq.



§. III.

Cataractae depositio consueta exponitur.

Inter deponendae cataractae varias methodos, hactenus vsu frequentatos, mea quidem sententia, sequens omnium videtur optima. In angulo nimirum externo oculi, ad duas circiter lineas a pellicula cornea, secundum lineam longitudinalem, infigitur acus anceps in bulbum oculi, eiusque ope, corpus vitreum et posterior pars capsulae inciditur. Hac ex capsula tunc exprimitur lens atque deorsum propellitur.

§. IV.

Utriusque methodi commoda et incommoda.

Atque haec breuissima sit utriusque methodi, tam quae extractione, quam quae depressione perficitur, historia: quam eo consilio hic descriptam volui, ut, cuinam methodo potissimum palmam concedam, facilior esse possit aestimatio. Nemo profecto inficias ire potest, nostris temporibus, uti iam monuimus, Chirurgos incredibilem contulisse operam, ut vtraque methodus, quoad eius fieri posset, emendaretur, ab erroribus vindicaretur, nouaeque enchires tractandae cataractae inuenirentur, et inter se inquietem expenderentur: quotandem ipsae, et naturae, et indoli praesentis cataractae fiant conuenientiores aptioresque. Quae omnia

¶

omnia ut exemplis illustrem, sequentia monebo. Celeberrimus RICHTERUS, verbi caussa, plurimum fauet extractioni cataractae: admissis tamen nonnullis exceptionibus, si natura indolesque huius mali aliena methodum sit postulatura. Eo consilio optimus hic vir in nuperissimis hac de re monitis atque praecceptis perfectam cataractae extractionem commendat, hoc simul addito asserto, ipsam capsulam sine omni periculo simul extrahi posse: paulo post vero tantum abest, ut hoc cum consilio consentiat; ut potius hanc ipsam methodum nondum satis absolutam, securam, certamque declareret. Contra ea eximiuit inter Anglos chirurgus, POTTIVS, non quidem absolutus extractionis cataractae est osor: tamen etiam antiquitatis aestimationem in re medica negligi non oportere contendit, simulque methodum priorum seculorum, quae in sola depressione consistebat, ludibrio aut irrisu exponi haud patitur. Fateor, huius viri modestiam vetustatisque amorem maxime a me probari: non quidem, sicut facile liquet, quod methodo huic faueam ob vetustatis auctoritatem; sed quod, proh dolor! vitia nuperioris methodi, per extractionem absoluendae, si cum vitiis et incommodis depressionis comparantur, facile aequo passu, ut vulgo dicitur, succedunt. Quid? quod perfecta capsule adhuc pellucidae una cum lente, aut capsule solius, post extractam lentem, extractio, si euentum spectes,



semper manet dubia: quoniam, ut idoneis argumentis satis constat, nemo cum absoluta certitudine nosse potest, vtrum capsula adhuc cum membrana hyaloidea naturali coniunctione sit combinata, an non nihil iam sit ab eadem dissoluta, an forte capsula cum iride sit concreta; qui peruersus status comparandae hac in re certitudini maxime officit. Ego saltem non prius hanc extractionis methodum in operanda cataracta, cuiuscunque sit naturae et conditionis, certissime feligo atque instituo, quam si sub ipsa operatione obseruo, sitne soluta iam capsula, an eadem fine incommodo aut metu, ne ipse bulbus oculi quomodounque laedatur, extrahi possit. Quo de arguento si scriptores euoluimus, multa ibidem in utramque partem disputata exstant; quibus assertis simul vicissim plurimis obseruationibus et rationationibus fidem facere ipsi conantur. Quis vero negare audeat, ab utraque parte, in sui honorem atque gloriam, optimos hos viros multis malis euentibus cauisse, suisque operationibus securitatem addidisse: porlus tamen primaria bina uitari nequeunt vitia; alterum nempe, ne post breue longumque tempus lens depresso in pristinum recedat locum; alterum vero, ne superstes capsula successive obscuretur. Nae! haec sunt bina illa incommoda, quae tam chirurgis oculariis, quam aegrotis saepenumero crucem figunt. Adeone ergo fieri nequit, ut illam coerceamus et velut carcere retineamus; hanc vero ab ob-
scu-
-moi
s
I



ſecuratione defendamus? Mihi quoque exempla ob-
uenerunt pefimorum horum euentuum. Verbi
caufa, feminae, quadraginta circiter annos natae,
et utroque oculo fuffusionem paſſae, uno eodem
que die extraxi cataractam. Dextri cataracta iam
ex duodecim annis; ſinistri ex duobus erat exorta.
In ipſa operatione nihil mali aut peruersi accidit.
Duodecennis cataracta, quae dextrum occupauerat
oculum, vna cum capsula ſimul prodiit, licet haec
antea eſſet incifa: lens ceterum crystallina iusta ma-
gnitudine atque densitate gaudebat, ſimulque cum
capsula erat opaca. Biennis ſinistri oculi cataracta
itidem ex incifa capsula prodiit, atque tunc oculus
perfekte erat clarus atque pellucidus. Verum enim
vero poſtero die acerbifimos dolores in ſinistro ocu-
lo ſenſit aegrota, eosdemque etiam in dextro oculo,
ſed longe mitiores. Remouit quotidie deligationis
apparatum; vnde, interpositis in ſingulos dies deri-
uantibus remediis, euanuit dolor: fed, vix elapsis
aliquot diēbus, relictam in ſinistro oculo capsulam
vidi obscuratam, nulla dehinc applicatorum diſcu-
tientium medicamentorum vi priftinae pelluciditati
reſtitutam. Sed in dextro oculo poſt duas ſuperata
hebdomades viſio aequa bona fuit, ac ante duo-
decim annos. In alio puellae, viginti quatuor an-
nos natae, exemplo per quatuor iam annos fi-
nistrum oculum viriauerat cataracta, albicanis ma-
gis, quam gryſei coloris. Ergo adhibui huic malo
ope-

1000

B 3



operationem per depressionem; sub qua deprehendi, facillime quidem cataractam deorsum deprimi, sed imperfecte tantum posteriora versus. Tametsi vero pupilla prorsus nunc esset libera, et aegrota huius oculi visionem optime recuperasset: lens tamen sub et retro pupillam evidenter transparebat. Quotiescunque hac in operatione acum non nihil eleuabam; toties quoque ipsa lens acus iter tantillum sequebatur. Atque haec cataracta videbatur mihi paulo maior, ac solet, forte etiam iusto mollier, adeoque etiam cum capsula cohaerens. Liceat aliud viri, qui circiter quadraginta iam superauerat annos, adiicere exemplum: in cuius dextro oculo iam per quinque annos infederat cataracta; cui quoque per depressionem adplicui medelam. In quantum igitur, finita operatione, pupilla pellucida erat, in tantum tamen sexto die denuo deprehendebatur opaca: licet reliqua symptomata nihil mali ostenderent. Elapsis vero post primam operationem tribus hebdodibus lentem, quantum ego iudicare poteram, denuo sursum protrusam, iterum deponere conabar: postquam tamen acum pone pupillam immiseram, opacum corpus difficulter excipere potui, unde mox intellexi, capsulam hic subesse post operationem demum obscuratam. Proinde apicem acus admoui proprius pupillae, capsulamque incidi: per quam incisuram deinde hic ipse vir satis bene visum recuperauit. Atque haud dissimilia exempla non
-90-
mihi



mihi solum, sed multis aliis etiam saepenumero sunt
oblata: vnde luculenter appetet, ante nominatos
malignos euentus sub qualibet operatione accidere
posse, licet ubique summa adhibita sit cautio. Ce-
terum circa extractionem cataractae haec tantum-
modo velut in transcursu notabo: haud raro tunicae
corneae laciniam, quae sub operatione abscinditur,
malorum euentuum euadere causam: quandoquidem
haec ipsa lacinia veluti inflicto vulneri infidet. Quo-
niam vero sub minimo oculi motu inferior palpebra
in hanc laciniam impellitur, facile accedit, ut, pri-
mis saltem diebus, hac irritatione oculi inflammatio
excitetur.

§. V.

Alia correccior cataractam deponendi methodus.

Ergo utriusque operationis nondum perfecta
atque absoluta est securitas: quoniam, ut et ipsa
cataracta, et chirurgus eidem medicaturus compa-
rati sint, nemo de euenturis malis atque illaetabili-
bus symptomatis aegroto satis certo cauere potest.
Methodusne igitur excogitari non posset, sub qua de
antedictis malis successibus, si forte superuenientia
excepero symptomata, prorsus securi esse possimus,
et quidem adeo perfecte; ut qualibet obueniente
cataracta, qualisqualis sit, certissime praedici posset:
operationem optimo cum euentu esse successuram.
Ingenue itaque methodum proponere conabor, nisi
fallor,



fallor, correctiorem, virorumque, qui animum a
vero non secludunt, nec suae opinioni pertinaciter
inhaerent, sed publicae tantum humani generis vti-
litati student, beneuelae censurae permittam. Neu-
tiquam vero id mihi sumo, vt hanc methodum pror-
sus indubiam nec vñquam fallacem censem; licet
omnino huius generis mihi videatur: quandoqui-
dem hoc facile concessero, praeteruisum esse a me
quidquam, propter quod haec methodus reici debat.
Interim tamen ille mihi maxime erit gratus
atque exoptatus, qui, non praeoccupato animo,
per repetitam operationem offusae adhuc hac in re
obscuritati lucem affundit. Qua ad nouam hanc,
velut coactus, perueni methodum, viam demonstra-
runt partim celeberrimi viri, quorum hoc super ar-
gumento commentationes, quaestiones, atque epicri-
ses exstant, partim mea ipsius experimenta, quae
iam passim attigi. Cataractae extractionem, de qua
quid existimem, iam exposui, celeberrimus RICHTER-
RVS sibi velut propriam atque familiarem selegit,
eandem multis argumentis confirmauit, contra alio-
rum dubia defendit, imo tanquam perfectissimam
extrahendae cataractae methodum proposuit. Ve-
rum enim vero, dum mecum reputo, eas ob causas,
quas iam recensui, perfectissimam extractionem fieri
omnino non posse, animo quoque obuersatur quaes-
tio: perfectane depressio aequre admitti non possit?
E contrario si toties clarissimus POTTIUS depressio-

nem



nem cataractae omittit, quotiescunque hanc fluidam aut etiam velut caseosam animaduertit, hocque in statu tantummodo capsulam vna cum lente disrumpit; quo disrupta capsulae pars simul cum parte lentis nondum perfecte soluta aquo humoris permisceri et hinc solui possit: tunc temperare mihi non possum, quin tacite tecum quaeram: numne obscurus hic humor, cum disrupitur capsula, impedimento sit futurus, quo minus anterior aequa, ac posterior capsulae pars perfecte disrupti possit; quandoquidem viuierius humor aqueus a turbido cataractae disruptae liquore obscuratur, adeoque hac ipsa obscuratione felix operationis successus imperfectus erit mansurus. Atque haec intuitus celeberrimus RICHTERVS affirmavit, si hoc adseratum veritati esset conueniens, se extractionis operationem, cui tamen maxime faueret, prorsus esse intermissurum. Qua occasione vero denuo mihi in animum incidit quaestio: negarine possit, deponendae cataractae esse modum, qui omnino extractione plurimum praefert? Quare autem utique celeberrimorum virorum huius argumenti rationes non clarissime peruident, causa est in aprico aequa, ac illa, unde ipsorum methodi cataractam tollendi inter perfectissimos numerari nequeunt.

100

C

§. VI.

§. VI.

Eiusdem argumenti continuatio.

Vt autem ad institutum nostrum proprius accedamus, illudque plenius illustremus, ipsam operationis nostrae methodum accuratius describemus: simul causas expedituri, cur sub pristina depressionis methodo cataractae secundariae sint exortae, atque cur lens atque capsula iterum sursum ascenderint, aut vel adeo in anteriorem oculi cameram prociderint. Ipsi vero nostrae operationi qualemque alii daturi sint nomen, nobis perinde erit: nos perfectam nominabimus depressionem. Vt autem ad expediendas illas omnes quaestiones, quas nunc attigimus, viam nobis pandamus, nostrarum interest partium, vt ante omnia vitreum corpus in suo naturali nexus lectoribus proponamus. Scilicet corpus hoc vitreum, quod etiam vulgo humor vitreus vocari solet, est complexus plurimarum exiguarum vesicularum inter se cohaerentium, paruisque ostiolis vbiique inuicem coniunctarum, quibus ostiolis contentus humor ex una in alteram vesiculam hinc inde transmitti potest. Praeter haec corpori innata est vis elastica: cuius ope idem cuilibet ali ad moto corpusculo eo magis resistit, quo maior agentis huius corpusculi est superficies. Quod si igitur verum est, vt est omnino verissimum, vitreum corpus cuilibet paruo corpusculo, et quidem pro ratione diuersae in ipsius superficie magnitudinis, reniti: sequitur exinde nec-



cessario, ut post depressionem cataractae lens deorsum pressa facile atque frequenter in pristinum locum adscenderet; idque eo facilius tunc temporis, cum adhuc teretium acuum usus esset. Namque, dum haec operatio peragebatur, lens ex superiori versus inferiora, ad perpendiculum, deprimebatur, aut, ut aliis solenne erat, posterior capsulae lamella et dein ipsum corpus vitreum inferiori et posteriori parte incidebatur; quam in incisuram lens deorsum et retrosum, satis remote a pupilla, detrudi solebat. Fac vero, per errorem corpus vitreum sub operatio-
ne non incidi, aut etiam in dictam incisuram non impelli lentem: tunc lens solummodo recta linea deorsum pone iridem deprimitur. Atque tunc semper periculum subest, in primis si lenti sua capsula adhuc circumdatur, ne denuo eadem haec sursum retrocedat. Praeter haec dum cataracta deorsum retrosumque deprimitur, semper inter operandum renisus animaduertitur mediocris, isque paullo mai-
or, si lens adhuc cum capsula coniungitur: inter-
dum quoque fluida adhuc cataracta subest; quae ideo magis resistere solet, quo maior plerumque illius deprehenditur superficies. Est autem huius renisus causa sola corporis vitrei elater. Ex his igitur omnibus, quae nunc praemissimus, nemini obscurum esse potest, fieri omnino posse ob corporis vitrei resisten-
tiā, quam ipsius elater deprimentae cataractae obiicit, ut haec nec semper iusto loco deponatur,

C 2

nec

ni



nec sufficiens corporis vitrei portio ante ipsam dependeat ipsamque firmet. Namque si vtrique huic scopo inter operandum satisfactum est, lenti soli aut etiam capsulae adhuc circumiectae retrogressus versus superiora prorsus intercluditur. Ex his igitur facili consecutione sequentia fluunt. Quoniam nimurum vitrei corporis elasticus renisus perfectae cataractae depositioni est impedimento, eamque ob causam haec ipsa depressio non semper postica parte expedite succedit: ipsum, quod huic usui inseruit, instrumentum, latam nempe ancipitem acum, ita mechanice fabrefactam atque adaptatam esse oportet, ut praedictum impedimentum chirurgus, medelam instituturus, facilius tutiusque debellare possit. Qua de mutata huius acus forma paulo post, cum eiusdem usus illustrabitur, ex professo dicemus. Ad haec, cum vitrei corporis vis elastica eo loco maiorem exerceat renisum, quo ipsius naturalis cohaesio potissimum deprehenditur: aperte exinde patet, illam ipsam corporis vitrei partem, quae alienum quoddam corpus suscepturna est, singulariter huic usui accommodari oportere; ne ipsius huius corporis intro missio retardetur, sed cum facilitate succedat, neque iterum ex constituto hoc loco expelli possit.

§. VII.

Eiusdem argumenti peroratio.

Corporis autem vitrei elater infringitur, sive, quod idem est, locus, qui depositam cataractam in

in constanti quiete seruatur est, praeparatur, si eiusdem corporis inferiores cellulae iis locis, quibus alienum corpus excipi debet, quantum fieri potest, dissecinduntur aut inuicem separantur; vnde simul ipsarum elater perit. Atque haec cellularum disiunctio per eandem acum perficitur, per quam quoque deprimitur cataracta. Haec autem lata, anceps, leniterque excauata acus, ab apice ad maximam ipsius latitudinem, ad dimidiā lineam brevior, ac alias esse solet, confici debet, eo autem loco, vbi est latissima, manubrium versus, sensim imminuitur latitudo; hoc ipso autem summae latitudinis loco modice incuruatur versus alterum latus. Ceterum inferior superficies consueto more modicam seruat cavitatem. Praeter haec cuilibet oculo peculiaris et velut propria acus destinari debet. Namque quam primum acus in oculum est immissa, pars ipsius conuexa versus posteriora vergit, caua superficies vero versus inferiora, ipsiusque apex non nihil versus pupillam sive anteriora. Ob modicam vero incuruationem haec ipsa acus aptior est sejungendae capsulae cum iride concretioni. Postquam autem acum Chirurgus dicta methodo in oculum immisit, eandem ita dirigi oportet, vt pars ipsius latissima pone inferiorem lentis partem sit constituta. Hinc ipsa acus, repetitis vicibus a superiori parte versus inferiorem et posteriorem, quam occupatura est dein cataracta, hinc inde mouetur: vt hoc motu interiores corporis

C 3

vitrei



vitrei cellulae disscindantur. Quam primum igitur cellulae satis sunt seiunctae, cataractae imponitur acus, ea cautione, ne disscindatur capsula, siue pellucida sit, siue opaca, dura siue fluida, magna siue parua, eademque adeo firmiter perfecteque tenetur, ne antrosum elabatur. Quo facto cataracta pone retroque deprimitur; ita quidem, vt sub pressione inferior acus superficies magis magisque posteriora versus vertatur. Lenis illa, quam descripsimus, acus incuruatio efficit, vt latissima eiusdem pars, sub qua coatinetur lens, in modum proiecturae clavis (*Bart des Schliessels*) sub claustris reseratione, modice circumuertatur, et quidem ea ratione, vt, dum incipit operatio, acus cataractae imprimatur, sub progressu eiusdem vero versus cataractam agat; dum interim eodem tempore, sub moderata acus circumuersione, cataracta perfecte deorsum et retrorsum propellitur. Atque haec enchiresis lento motu perfici debet, quo dissectum corpus vitreum impellendae cataractae sensim locum concedat, superiorque eiusdem corporis integra pars sufficienter antrosum super cataractam ita proiiciatur, quo nouus cataractae adscensus per pondus atque elaterem superimpendentis corporis vitrei penitus impediatur.

§, VIII.

§. VIII.

Scholion.

Haec igitur nunc a nobis proposita cataractae deponenda methodus reliquis omnibus, quae hanc tenus in vsu fuerunt, sequentes ob causas antecellit. *Primo*, ima et postica corporis vitrei portio sufficienter sciungitur, *tum* cataracta satis longe atque profunde a pupilla posteriora versus remouetur: *porro* cataracta vna cum capsula eo, quo officiebat, loco semouetur: *tandem* eiusdem nouis adscensuſ a pendente superiori integra corporis vitrei portione prorsus impeditur. Ipsa autem praesentis, quam descripsimus, acus forma reliquis huius generis praefat: quod non solum per eandem cataracta firmius comprehendi suoque loco moueri potest; sed quod etiam tunc commode applicari potest, si capsulae opacitas sine lente animadvertisit, atque artifex eandam aut discindere conatur, aut integrum adhuc deponit. Neque minus eadem acus, quod media parte leniter est incuruata, vsui esse posset, si in clausa pupilla radiatae iridis striae, altero pupillae latere, discindi deberent. Ceterum beneulos lectores vehementer rogo, nolint hanc a me propositam cataractae medendi methodum ita aestimare, tanquam omnibus numeris sit absoluta atque perfecta. Interim indifferenter omnino latus non sum, rectane sit, an falsa, aut quam inter doctos viros existimationem sit



fit adeptura. Tantum autem superbiae mihi non sumo
qui eandem methodum ipse statim repudiaturus sim,
quam primum iustis argumentis vitia eiusdem mihi
demonstrabuntur, aut alia praestantior methodus
publice proponetur. In summa autem, quam praefixam habui, laude ponam, si chirurgos solentes meo
exemplo excitauro, enchires in inueniendi, quae,
quoad eius fieri potest, scopo suo absolutissime
respondet.



120. deponit et colliguntur. 121. Repeti quidem
procedentes sunt, ut non per debet, sed voluntatis
ad arbitrio reguntur. Ita prava, et recta, et unius commis-
sionis plenariae, et recte, et recte, et recte, modi-
tudine tamen gloria patrum deorum per se sunt, per se sunt,
necessitate hec, non minime, etiamque per se sunt, etiamque per se sunt,
modi tamen gloria patrum deorum per se sunt, etiamque per se sunt,
modi tamen gloria patrum deorum per se sunt, etiamque per se sunt.

Ua 3991 E

ULB Halle
003 793 516

3



A

8.





EMENDATIOREM

CA T A R A C T A E D E P O-
N E N D A E
M E T H O D U M



P R A E S I D E

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. PRO-DECANO

DIE SEPTEMBER. CICLOCCCLXXXV.

IN MEDICINA ATQVE CHIRVRGIA
SVPREMOS DOCTORIS HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS

PUBLICO EXAMINI

SVBMITTET

A V C T O R

CAROLVS GVILIELMVS HILDEBRAND
HERFORDIA-GUESTPHALVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.